

**LIBERTAS INSTITUTIONIS SCHOLASTICAE
ATQUE SCHOLARUM.
SCHOLA CATHOLICA
IUXTA CONCORDATA VIGENTIA.
STATUS REI IN REPUBLICA ARGENTINA**

SUMMARIVM: 1. Praenotanda atque considerationes generales. 2. Solutio concordataria. 3. Conceptus conventionum. 4. Vigentia actualis Concordatorum: A. Ad terminologiam usitatam de re scholari quod attinet: a) In regionibus culturae germanicae, b) In Nationibus latinis, c) In Nationibus America Latinae, d) Haiti, Cuba, Nicaragua. B. Analysis subsidiorum circa rem scholarem quae Concordatis regulantur. 5. Status in genere in Iberoamerica atque in specie in Argentina: a) Nationes cum regimine agnostico, laicista, marxista, b) Regimenes laicisti, c) Regimenes in quibus viget observantia et tolerantia. 6. Situatio in Argentina: a) Ante structurationem Nationalem, b) A Constitutione Nationis (1853-1860), c) Lex Avellaneda (1597), d) Titubationes in campo educationis (1943-1955), e) Lex Domingorena (14.557), f) Lex 17.604. 7. Propositio Concordati a Doctore Santiago Estrada. 8. Conclusiones.

1. Praenotanda atque considerationes generales

Argumentum cuius studium aggredimur pertinet ad campum libertatum fundamentalium quae consequuntur in documentis de iuribus humanis fundamentalibus publice approbatis atque susceptis ab Organizatione Nationum Unitarum. Exsistentia igitur catholicarum scholarum respondet exercitio iuris inter personae humanae fundamentalia, quamvis hoc ius frequenter conculcetur a quibusdam Nationibus quae et

ad Organisationem Nationum Unitarum pertinent et quae illa documenta subsignaverunt.

Negare nemo praeterea audebit Statum, societatem perfectam in temporali ordine, iure proprio gaudere circa suorum civium educatione, circa viis ad educationem promovendam, circa mediis opportunis excogitandis ac custodiendis, ut civium educatio intra ambitum propriae iurisdictionis efficaciter provehatur. Huiusmodi munus Status denominari potest teleologica educationis politica atque programmatum educationis intra ambitum politicae iurisdictionis vigilantia. Status quidem titulos confert habilitationis cum valore intra ambitum competentiae, unde publica potestas rationabiles condiciones exigere potest tanquam exigentiam «minimam» pro huiusmodi titulorum concessione atque pro eorundem recta intra communitatem politicam applicatione.

Exinde certe oritur periculum ne Status sibi arroget monopolium educationis, ita ut se immisceat in decidendis conceptibus dogmaticis, ethicis, philosophicis, omnibus civibus obligatoriam imponens educationem, illis conceptibus adhaerentem. Versamur in vero totalitarismo in campo educationis, quod Status sibi arrogat supra et contra iura familiae, corporum intermediarum atque Ecclesiae, quae habent iura praestantiora, priora etiam quoad educationem necnon concretas disciplinas proponendas.

Parentes quidem ius fundamentale habent seligendi educationem filiorum, nec quisquam hac in re eis ob stare fas est.

Ecclesia vero, utpote societas ab Statu in suo ordine spirituali independens, atque ex propria divinitus accepta missione, iure ad educationem gaudet ut suos supernaturales fines assequatur.

Corpora quaedam intermedia etiam, quatenus

necessaria ut libertatis ordo subsistat, iuribus discendi et docendi secundum dictata conscientiae et propriae persuassionis gaudent.

Inquisitio capitum Concordatorum, necnon inter eadem comparatio, quam aggrediemur iuvabit, etenim Concordata a Sancta Sede atque ab Statu designata, vera pacta internationalis iuris, important supranationalem agnitionem iuris fundamentalis, quod non iam plane relinquitur arbitrio interni ordinis iuridici Status ordinationi.

Scholae igitur catholicae, secundum illa internationalia pacta, non sunt concessio aut privilegium ex parte publicae administrationis Status, sed agnitio realitatis existentis, agnitio iuris praeexistentis, ita ut invocari non possit suprema Status potestas ut unilateraliter activitatem educationalem iuridice limitet.

Periculum unilateralis ordinationis non raro in discrimen vertit vel ipsas sponsiones quae legibus generalibus Status immo et in ipsa ipsius Constitutione continentur, quae a sola auctoritate politica Status applicationem recipiunt.

Ad terminologiam quod attinet, cum de scholis catholicis sermo erit, eas considerabimus publicam educationem non ab Statu datam. Nos non latet varietas opinionum atque terminologiae quae in Concordatis analysi subiectis invenitur.

Antinomia falsa est, et sine fundamento in re, educationem in Catholicis scholis privatam appellare. Tam scholae Status quam scholae Catholicae publicae sunt, quatenus omnibus patent qui programmata studiorum, quae regulas ab Statu determinatas iuxta propriam competentiam observant, persequi intendunt¹.

¹ Carlos CORRAL SALVADOR y José GIMENEZ Y MARTINEZ DE CARBAJAL, *Concordatos vigentes*, Madrid 1981, p. 27.

Affirmatur etiam persaepe institutionem, quae non ab Statu dirigitur, gravius onus pecuniae imponere quam ea quae sub Status moderamine est, saltem in quibusdam Nationibus. Id quod fere semper accidit quia Status, opibus ad educationem destinatis potitus, ad proprias dumtaxat Scholas reservat, re ignorando iura quae, saltem theoretice agnoscit, suis in legibus fundamentalibus atque in ipsa Status Constitutione.

In Republica Argentina, exempli gratia, ubi res scholasticae compositae per Concordata non sunt, duae leges nationales diversae sed complementares habentur, quarum una, de communi educatione, exeunte saeculo transacto promulgata, educationem laicam, gratuitam et obligatoriam ab Statu offerendam imponit, dum alia, post annum 1960, liberam educationem protegitur.

Quamquam opes pecuniae erarii publici educationi destinatae haud copiosae aestimantur, scholae primariae, mediae, universitariae gratuitaes sunt. Id quod non dici potest de Scholis Catholicis in genere, quamquam aliquae gratuitaes pariter habeantur. Educatio non ab Statu procurata, sive Catholica sive non, sustentari debet pecunia a privatis et alumnorum inscriptionum canone. Paterfamilias igitur qui liberos ad scholam Catholicam mittit, praeter taxas solvendas Statui, quibus hic suas scholas ordinat, omnibus mediis modernis atque numerosis magistris, novam vim pecuniae adhibere debet ut Scholam quam elegit sustentet, pro qua Status aliquid tantum tribuet pro certis materiis docendis.

2. Solutio concordataria

In variis pactis notatur evolutio quoad Scholam Catholicam, non Status, quae facile accipitur ab Statibus in quibus viget regimen separationis Ecclesiam

inter et Statum, cum tamen clara vocatione cooperationis inter utraque.

Quaestio vere gravis atque delicata, scilicet libertas educationis atque electionis scholae, manere non potest sub exclusiva competentia auctoritatis Statalis. Pericula iam supra indicata sunt quamquam principia inscripta sint in ipsa Constitutione.

Generaliter dicere possumus huiusmodi periculum precarietatis quoad has libertates, ibi ubi deest concordia iuridice firmata, lucide a Pio IX fuisse expositum in Encyclica «*Ubi Nos arcano Dei consilio*», diei 15 Maii anni 1871, quae responsionem continebat legi «Sponsionum» qua Regnum Italiae, postquam Status Pontificios invaserat, iura Romani Pontificis, variis immunitatibus agnoscere nitebatur. Huiusmodi lex a Consilio regni Italiae, die 27 februarii anni 1878, iudicata est lex fundamentalis et publici iuris interni Regni, verumtamen Pontifices PIUS IX et LEO XIII, eorumque successores, eandem accipere renuerunt ideo quidem quia, deficiente bilaterali consensu, unilateralis Status legislatio precaria manebat².

Recoli etiam potest casus Syriae, quae officialiter Status est laicus nec ullum signavit pactum cum Sede Apostolica. Scholae catholicae clausae sunt actu administrativo Ministerii publicae Instructionis diei 9 Septembris anni 1967. Casus ad Tribunal delatus est, quod die 9 Decembris 1974 irritavit decisionem Ministerii³. Ut patet casus illustrat auctoritatem admi-

² Encyclica «*Ubi Nos arcano Dei consilio*»: cf. CIC FONTES, n. 560: vol. III, pp. 59-64. Cf. PIUM XI, Encyclica «*Ubi arcano*», diei 23 decembris 1922: AAS 14 (1922) 673. Cf. etiam Allocutiones BENEDICTI XV diei 21 Novembris anni 1921: AAS 13 (1921) 521 et diei 13 Iunii anni 1921: *Ib.* 281-284.

³ Citatur a LE LIEN, *Boletín del Patriarcado Griego Católico*, n. 4, Beirut 1975, p. 23.

nistrativam posse arbitrarie auferre exercitium legitimi iuris, cuius precaria indoles sic patet. In casu autem iustitia Syriana feliciter violationem iuris reparavit, quamquam nonnisi post amplius septem annos.

3. Conceptus conventionum

Iuxta José GIMENEZ MARTINEZ y CARBAJAL, terminus «Concordatum» reservatur pactis seu conventionibus inter Sedem Apostolicam et aliquem Statum quae formam induunt sollemniorem tractatus internationalis aut conventionis diplomaticae. Haec materiam amplam considerant, circa quam statutum iuridicum Ecclesiae, eius ministrorum aliorumque fidelium intra communitatem politicam determinant, aut saltem moderantur complexive materias praecipuas quae obiectum esse possunt relationum — statuendo limites, controversiarum compositionem, aut e converso collaborationis modos — inter Ecclesiam et Statum⁴.

Illae autem minoris sollemnitatis conventiones, aut quae regulant tantummodo singularem quaestionem aut controversiam, nuncupari solent aliis terminis genericis ut «conventio», «pactio», «consensio», «protocollum», «modus vivendi», «concordia», «instrumentorum permutatio», quae tamen generalibus principiis Concordatorum reguntur.

Qua de causa «Concordatum» et «theoria concordataria» applicantur ad omne genus conventio-

⁴ CORRAL-GIMENEZ (supra nt. 1), p. 17. Doctrina clarissimi canonistae GIMENEZ Y MARTINEZ CARBAJAL iuridicam naturam, iuridicos effectus, materiam, subiecta atque formas huiusmodi pactorum definit.

inter Ecclesiam et Statum, qua argumenta quae quodammodo ambas partes afficiunt componuntur.

Iam a pactis Carolingiis (anno 774), a «Concordia Londinensi» (anno 1107), a «Concordato Worms» (anno 1122) usque ad conventiones post Concilium Vaticanum II, formae atque argumenta multa fuerunt iuxta varia tempora historiae.

In praesentia, Concordata vera sunt pacta sollemnia bilateralia inter Ecclesiam et Statum, quatenus sunt institutiones sive subiecta autonoma, mutuo independentia, cum internationali subiectivitate, quaeque constituuntur et agunt intra ordinationem iuridicam externam utrisque communem. Ea gignunt varia iura et officia in ambabus partibus concordantibus, quae tam ordinationem iuridicam canonicam quam Status afficiunt. Vere quidem sunt pacta internationalia cum indole normativa.

A longinquo Medio aevo, per moderna tempora atque tempus absolutismi regii, per tempora revolutionum saeculi XVIII et XIX, necnon per saeculum XX in quo duo bella universum mundum afficientia, Ecclesia iugiter varia pacta cum potestatibus Nationum pepigit, qui mos non tantum non evanuit sed et tempore post Concilium Vaticanum II, triginta saltem pactiones inter Sedem Apostolicam et Nationes variarum religionum locum habuerunt ad mutua iura firmanda.

4. Vigentia actualis Concordatorum

Post celebratum Concilium Vaticanum II conventiones, sub nomine Concordati, nonnisi tres habentur, scilicet cum Saxonia Inferiori (anno 1965) cum Colombia (anno 1973) et cum Italia (anno 1984), Omnes aliae, sive indolis particularis sive etiam gene-

ralis, non attingunt plenitudinem illarum. Id quod partim debetur facto quod antiquiora Concordata perseverant, quae post celebratum Concilium, renovari intenduntur aut recognosci. Partim etiam debetur circumstantiis magnarum mutationum politicarum, praesertim mundi usque ad recentissima tempora bipartitio in duos magnos coetus, id quod non permittebat invenire solutiones permanentes atque complexivas problematibus exurgentibus inter Ecclesiam et Status⁵.

A. AD TERMINOLOGIAM USITATAM DE RE SCHOLARI QUOD ATTINET:

a) *In regionibus culturae germanicae*, separatio Ecclesiam inter et Statum necnon cooperatio inter ambas partes, nota characteristicam habetur. Ecclesiae agnoscuntur tanquam corporationes iuris publici plene autonomae. A Constitutione Weimar, post primum bellum Europaeum tendentia notatur ad firmandum systema separationis mutae, conventionibus solidatum. Post Bellum europaeum conventiones habentur cum Bavaria (29-3-1924), cum Prusia (14-6-1929), cum Baden (12-10-1932), quarum tantum prima rem scholarem ordinavit. Anno 1933 conventio cum Reich habita fuit pro componendis relationibus Ecclesiam inter et Statum in toto territorio germani-

⁵ Cf. Appendicem I: tabulam conventionum a fine Concilii Vaticani II (anno 1965) ad annum 1985.

Quoad ad indolem Concordatorum vigentium attinet tam sub aspectu materiae concordatae quam sub aspectu indolis eorum, repetenda non sunt quae a clarissimo CORRAL scripta sunt in articulo «De universali vigentia Concordatorum in XXXI Statibus cuiuslibet systematis», *Periodica* 75 (1986) 466-510.

co. De re scholari amplas cautiones statuit ut existentes «scholae confessionales catholicae» pergerent, sub vigilantia Ecclesiae in re religiosa et cum subsidiis Status, atque ut novae conderentur in locis ubi numerus catholicorum id iustificaret in concordia cum ordinatione scholarum existentium (art. 23); professorum selectorum formationem Status sustinet (art. 24); Religiosi «scholas privatas» condere possunt, legibus circa studiorum curriculum ac professorum nominationem stando (art. 25).

Hocce Concordatum, vigere perrexit post inducias concludentes alterum bellum mondiale necnon sub occupatione nationum consociatarum, nec post novam Constitutionem Reipublicae Foederatae Germaniae denuntiaturum aut confirmatum fuit. Post controversiam inter Gubernium foederale atque civitates Saxoniae inferioris, Bremen et Hessen, Tribunalia constitutionalia decreverunt die 26 Martii 1956, illud Concordatum cum Reich pergere in vigore, verumtamen singuli Status foederationis autonomam legislationem scholarem condere posse. Exinde novae conventiones subsecutae sunt.

Sic 26 februarii 1965 cum Saxonia inferiori: «Scholae confessionales catholicae» relationem habebunt cum scholis Status eiusdem gradus. Certa redditur formatio magistrorum (art. 6). Scholae ab Ecclesia (a religiosis, etc.) plane moderatae, «scholae privatae» dicuntur (art. 8-9). Peculiaris est norma pro Instituto Iosephino ad sedem episcopalem Hildesheim pertinens quod simul «schola publica» est.

Conventio anni 1924 cum Bavaria, variis conventionibus partialibus recognita est. Subsidia Status renovantur (1968), promoventur «scholae privatae» Ecclesiae (1974). Religiosi docere possunt sicut alii iuxta normas legales. Schola catholica, parentibus

petentibus, condi potest, etiam unica, iuxta numerum alumnorum. «Publica» habebitur si legum exigentiis respondet.

Rhenania-Palatinatus constabat territoriis ex parte Bavaris, sub conventione anni 1924, ex parte Prusianis, sub conventione 1929. Nova conventio habita est anno 1969 quae praevidet creationem cathedrae Theologiae atque Paedagogiae Religionis intra Scholam Superiorem Scientiarum Paedagogicarum Status, dum conventio anni 1973 sanxit ius condendi «Scholas privatas», necnon Institutum formationis Magistrorum, cum subsidiis Status. In terminologia nulla mentio servitii publici institutionis catholicae.

Conventio cum Rhenania superiore-Westfalia (anno 1956) nihil expresse de quaestione scholari. Anno vero 1969 in permutatione instrumentorum includitur creatio cathedrae theologiae in singulis sectionibus Scholae Superioris Paedagogiae Status: Professoris nominatio ab Statu cum missione canonica Ordinarii dioecesanis. Etiam possibilitas Ecclesiae condendi instituta formationis magistrorum cum subsidio Status.

Conventiones cum Sarre (1968, 1970, 1975) similes sunt illis cum Rhenania-Palatinato⁶.

Cum Austria⁷ plures factae sunt conventiones ab anno 1962, ordinando institutionem religionis catholicae in Scholis publicis; agnoscendo «scholam catholi-

⁶ Anno 1932 conventio habita fuit cum Statu Anhalt regulans compensationes ratione magistrorum in scholis catholicis. Cf. CORRAL-GIMENEZ (supra nota 1) I, Madrid 1981, p. 150.

⁷ Nota gubernii 24 decembris 1957 ad Secretariam Status Vaticanam agnoscit conventionem 5 Junii 1933, considerans Anschluss (1938-1945) occupationem non anexionem.

cam non officialem», cuiuslibet gradus, cum subsidiis Status pro docentibus.

* * *

Concludendo, in regionibus culturae germanicae invenimus existentiam scholarum publicarum confessionalium Status, petentibus parentibus, ubi sufficiet numerus alumnorum.

Alia ex parte, Ecclesia, sive a dioecesibus vel paroeciis, sive ab institutis religiosis, iure gaudet condendi scholas quae agnoscuntur bono publico inservire si legibus loci aptantur.

Terminus «Schola privata» pergit in usu in regionibus ubi viguit conventio prusiana anni 1929. Verumtamen quaestio fere semantica manet sive ratione subsidiorum Status, sive ratione relationis cum aliis normis conventionum affinibus, necnon cum interna legislatione iuris publici. Fructus practici demum optimi fuerunt⁸.

b) *In Nationibus latinis* non invenitur archetypum unum. Immo tres tantum Nationes conventionem habent regulantem quaestionem scholarem.

Ut notum est Pacta Lateranensia (1929) «quaestionem romanam» solve intenderunt, ut normales statuerentur relationes Ecclesiam inter et Regnum Italiae. Satis superficialiter nec sine ambiguitate rem scholarem tangebant (art. 35). Monopolio educationis

⁸ In Helvetia, in regionibus praedominantis culturae Germanicae, nullae conventiones quaestionem scholarem composuerunt, sicut, de cetero, nequidem in regionibus linguae gallicae vel italicae.

Quod vero attinet ad Germaniam orientalem, non cognoscitur conventio ulla cum Sede Apostolica.

a regimine fascista instaurato, PIUS XI fortiter obstitit (anno 1931) chirographo ad Card. SHUSTER atque Encyclica «Non abbiamo bisogno»⁹.

Concordatum relegebat principia catholica publicae educationis, Universitatem Catholicam Sacri Cordis atque Institutum Magisterii Mariae Immaculatae, necnon Seminaria maiora et minora tutelabat, atque providebat agnitioni ex parte Status graduum academicorum ecclesiasticorum.

Anno 1984 revisio «Pactorum Lateranensium» locum habuit; novum Concordatum agnoscit Ecclesiae Catholicae plenam libertatem docendi atque scholas cuiusvis gradus condendi et moderandi (art. 2), statuendo normas pro paritate examinis Status.

In Hispania post Concordatum 1851, quidam habentur «modi vivendi» atque consensus partiales: anno 1946 pactio de Universitatibus Catholicis, dum institutio religiosa in Scholis atque iuventutis educatio secundum moralem catholicam concordata fuerant anno 1942, excludendo unilaterales determinationes sine concordia cum Sede Apostolica. Novum Concordatum anno 1953 agnoscit Ecclesiae ius condendi et dirigendi Scholas publicas cuiusvis gradus, concordando curricula et agnitionem civilem studiorum. Anno 1962 habita fuit conventio de effectu civili studiorum non ecclesiasticorum in universitatibus ecclesiasticis. Anno 1979 generaliter, ex Constitutione hispana (art. 27) agnoscitur ius fundamentale ad educationem religiosam atque ius Ecclesiae coordinandi eius exercitium cum libertatibus civilibus et iuribus parentum. Admittitur moderatio Ecclesiae centrorum educatio-

⁹ Chirographus, 26-4-1931: AAS 23 (1931) 145-150; Encyclica «Non abbiamo bisogno», 29 Iunii 1931: AAS 23 (1931) 285-312.

nis, sive universitariae sive non, secundum leges generales, studiis civiliter agnitis.

Notatur amplitudo normarum atque conceptuum, sed deest concreta determinatio pro applicatione.

Lusitania gaudet longa traditione concordatorum ab anno 1289, variis pondere atque formis, iuxta transformationes politicas. Anno 1940 Concordatum regulat libertatem religiosam, organisationem missionum in territoriis ultramarinis, cautionesque Patronatus Orientis. Inter materias mixtas Ecclesiae agnoscitur ius condendi et regendi scholas «particulares» similes illis Status. Quamquam terminologia valde impropria habetur sed ius fundamentale servatur.

Generatim loquendo tantummodo Concordatum Italiae 1984 plena maturitate iuridica atque visione complexiva quaestionem aggreditur.

c) Primum concordatum *cum Nationibus Americae Latinae* locum habuit cum Bolivia anno 1851¹⁰.

¹⁰ Nationes Americae hispanae atque Filipinas ingrediuntur historiam universalem per gesta inventionis, expugnationis atque evangelizationis ex parte Hispaniae. Magallanes, qui oras australes Argentina et Chile exploravit, appulit Filipinas ubi occisus est 1521. America Hispana atque Filipinas expertae sunt processum similem mixtionis culturae, stirpis, ascensionis populorum ad culturam popularem communem. Gesta independentiae (1810-1825) concluduntur discissione ex parte Puerto Rico, Cuba, Filipinas quae maxime subeunt culturae vacuum a nova Natione dominatrice impositum. Licet loqui de profunda fraternitate historica, culturali, religiosa harum Nationum, in quibus liberalismus revolutionarius et jacobinus multum penetravit. Independentia politica dispergit populos non obstantibus idealibus S. MARTIN et BOLIVAR de confoederatione aut monarchia constitutionali. Nascuntur Regimina politica tyrannica, sub illuminismo sine radice in realitate populorum, ex una parte, ex alia vero, regalismo ecclesiastico, ambiguo, caeco, hostili, contradictorio. Sufficiat

Distingui possunt duo series: quaedam nationes concordant generaliter relationes inter Ecclesiam et Statum, sive per Concordatum sive per Bullam Pontificiam, praevis concordatam (Colombia, Argentina, Perú ante 1980). Aliae conventiones partiales inierunt (Paraguay, Filipinas, Bolivia, El Salvador).

Quaestionem scholarem concordant:

Ecuador, anno 1937 agnoscit libertatem educationis et ius Ecclesiae condendi Scholas Catholicas in observantia legum, non obstante caractere laico educationis publicae (Constitutio anni 1929).

Repubblica Dominicana Concordatum signat anno 1954 firmando relationes Ecclesiam inter et Statum, hucusque semper amicas. In ambitu educationali plene agnoscuntur civiliter tituli ab Ecclesia collati in omni gradu. Status cautionem dat libertati Ecclesiae condendi et moderandi scholas cuiusvis gradus, cum subsidiis congruis iuxta exigentias boni publici.

Colombia iam a 1887 conventionem iniit cum Sede Apostolica. Anno 1973 agnoscit servitium Ecclesiae communitati et personis per institutiones educationis. Status cautionem dat Ecclesiae creationi et directioni Scholarum cuiusvis gradus et materiae sine praeiudicio vigilantiae Status, subsidia praebendo pro docentibus.

Perú, ab independentia (1821), sicut fere Nationes Americanae, processit defectu ordinis iuridici aut etiam ordinationibus abusivis, usque annum 1883, cum Sedes Apostolica concessit ius patronatus. Post Concilium Vaticanum II (anno 1980) Concordatum

ciat exemplum politicae religiosae BERNARDINI RIVADAVIA in Argentina (anni 1820). Dioecesis Salta creata initio s. XIX mansit vacans per 50 annos...

locum habuit quod (art. 19) ordinat rem scholarem, libertatem Ecclesiae agnoscendo condendi institutiones educationis cuiusvis gradus in observantia legislationis atque sub conditione nationalitatis Perú pro docentibus.

* * *

Non aliae habentur conventiones pro re scholari. Nec, nisi in Brasil (nihil de re scholari), aliae habentur conventiones cum Sede Apostolica extra Americam Hispanam. In his quattuor, libertas educationis atque scholae catholicae, non habetur, ut concessio Status sed iuris agnitio et tutela, propter servitium publicum; subsidia etiam ex parte Status tribuendo.

Termini adhibiti non apparent technici et accurati sicut in Concordatis areae germanicae, sed agnitio iuris plena habetur.

Restant imprimis aenigmatica «insula ethnica» in regione Caribe, Haïti, atypica et satis anarchica cum regiminibus dictatoriis Praesidium ad vitam, iam anno 1861 conventionem cum Sede Apostolica subsignavit, quam post 20 annos denuntiavit, verum quae adhuc in vigore est. Plures aspectus relationum Ecclesiam inter et Statum ordinantur, inter quae interventus cleri in publica instructione, necnon erectio atque sustentatio seminariorum alumnorumque (1862).

Cuba et Nicaragua tractae sunt in orbitam socialistam. Prima in Constitutione imponit educationem marxistam leninistam. Neutra habet conventionem cum Sede Apostolica¹¹.

¹¹ Ante dissolutionem imperii «socialistae» Europae orientalis atque Unionis sovieticae, Sancta Sedes conventiones inierat partiales cum Tchechoslovachia, Jugoslavia, Hungria et Polonia, non tamen ordinantes rem scholarem, siquidem libertas educatio-

B. ANALYSIS SUBSIDIORUM CIRCA REM SCHOLAREM QUAE CONCORDATIS REGULANTUR

In regionibus germanicis, ipsa schola Status potest fieri confessionalis si, ratione maioritatis alumnorum, parentes id postulent (Baviera, 1924, art. 24). Singulae civitates conventionem statuunt de subsidiis scholis catholicis ex aerario publico (Saxonia inferior, 1965, art. 9), aut docentibus (Baviera, 1978). Scholae, a persona iuridica iuris publici aut privati, directae quae utilitati publicae inserviant, ad petitionem, compensationem accipient, iuxta necessitates tamen scholarum publicarum. Idem criterium servabitur pro amplificatione ac aedificatione scholarum novarum, pro iudicio Inspectionis Educationis atque pro ratione expensarum et accepti pro singulis annis.

Conventio cum Rhenania-Palatinato quae infelicem terminologiam habet circa scholas catholicas, magis accurate et in particulari loquitur circa subsidia, subventionem alumnorum, securitatem socialem docentium.

In conventionibus Austriacis docentibus subsidium praebetur usque ad 60 centenas partes, etsi non praebetur pro emendis terris pro aedificatione, pro ipsis struendis aedificiis, aut instrumentis educationis. Sed in conventionione 1971 mutatio habetur in favorem

nis nullo modo admittebatur. Dabantur casus (Polonia, Jugoslavia) ubi institutio religiosa dari poterat in scholis Status aut in paucis scholis Ecclesiae, quae non sine multis restrictionibus actionem evolvere poterant, nulla tamen cautione conventionis internationalis.

Cum Nationibus islamicis non habentur conventiones. Plures status laici se proclamant (Turchia, Syria, Irak) quamquam, praeterquam in Syria, praxis non respondeat proclamationibus.

Conventio exstat cum Tunisia, quae tamen parum de re scholari continet.

subventionum docentibus ita ut respondeat subventionibus docentium in scholis Status. Anno 1972 determinatur quantitas subventionis Statalis pro Scholis Ecclesiae.

In Nationibus latinis Europae, nihil in conventionne Italica circa subsidia Status dum conventio cum Lusitania (1940) statuit Scholas Ecclesiae «posse accipere subsidia» Status. Magis explicitè in conventionne cum Hispania, quamquam non ita ut in conventionibus cum Nationibus germanicis, statuitur (1953) Scholas publicas cuiusvis gradus, ab Ecclesia moderatas, eximi a taxis cuiusvis indolis, si obtinuerint statum institutionis educationis beneficae. Etiam alumni poterunt obtinere subventiones, determinatam pecuniae summam, beneficia fiscalia (1962).

Agitur, ut patet, magis de auxilio ferendo studentibus sive concessione pecuniae sive exemptione tributorum, quam de subveniendis ipsis Scholis publicis non Status.

In regione Hispano Americana Ecuador et Perú nihil concordaverunt de subsidiis Statalibus. Respublica Dominicana (1954) e contra statuit «congruam subventionem ratione servitii publici». Conventio Colombiana (1975) explicitat subsidia praeberi ad firmandum ius familiarum electionis scholarum, et Status spondet contributionem aequam ex aerario publico.

In reliquis Nationibus Hispano Americanis nihil adhuc de subsidiis sive iuxta modellum Perú, sive Colombia.

Remanet adhuc difficilis expectativae casus Nationum cum traditione hostili erga Ecclesiam sicut Uruguay et magis adhuc México.

5. Status in genere in Iberoamerica atque in specie in Argentina

Breviter quaedam exempla antequam de situatione Argentina sermonem faciamus¹².

Chile primum tentavit appropinquare ad Sedem Apostolicam (1823) quin tamen conventionem statueret. Ipsa Constitutio Chile (1925) quaestionem scholarum non tangit. Sub systemate separationis Ecclesiae et Status, ampla habetur libertas scholaris.

¹² Consummata emancipatione saec. XIX variae fuerunt circumstantiae anarchiae atque formae organisationis in variis Statibus. Dynamica emancipationis radices agebat apud SUÁREZ aliosque doctores Scholae Hispanae, maxime realistica, sed paulatim obruitur doctrinis libertariis inspiratis in revolutione Americae septentrionalis 1776 atque in postulatis illuminismi revolutionis gallicae, necnon influxu massonico ex Anglia et Galla, cum decisa positione adversa religioni Catholicae atque monarchiae. Novi Status ordinantur iuxta has doctrinas plus minusve feliciter. Iam 1983 numerantur 11 respublicae quae erunt 17 cum America Centralis separatur ante 1840. Cuba et Puerto Rico ab Hispania secedunt simul cum Filipinas in fine saec. XIX cum peculiari posteriore evolutione. Panamá secedit a Colombia initio saec. XX, Propriam secutae evolutionem Nationes ex America Lusitana atque Gallia (Brasil, Antilles, Haïti), sicut et territoria ex America Hispana divisa et quae ab Statibus Foederatis Americae Septentrionalis adnexa sunt (California, Texas, Florida) aut partes factae sunt coloniarum Magnae Britanniae (Honduras, Belice, Malvinas, Antilles). Hae omnes vices metropolis secutae sunt.

Nationes Americae Hispanae, ab emancipatione sive anni 1830 sive 1898, eriguntur in Status abstrahentes a realitate homogeneitatis Catholicae populorum. Alludunt ad Creatorem, quandoque ad religionem Catholicam, statuunt libertatem conscientiae et culturae, nullo autem modo promovent, nec ratione habita boni communis, appetentias spirituales ingentis maioritatis catholicae. Immo potius inimice contra religionem Catholicam agunt.

a) *Nationes cum regimine agnostico, laicista, marxista.*

Haïti et Honduras, nullam allusionem ad Religionem vel libertatem educationis faciebant. Inter laicitas Uruguay et México numerantur. Praesertim México vehementer impetivit in Religionem maxime Catholicam. In Constitutione admittit libertatem educationis, sed imponit educationem laicistam in institutionibus, cuiusvis gradus, officialibus et particularibus (art. 3). Nec corporatio religiosa nec minister cultus permittitur condere aut dirigere scholas primarias...

Fere idem habetur in Uruguay quamvis ultimis annis initium habuit Universitas Catholica «Dámaso Larrañaga». Praeterea numerosae sunt scholae primariae et secundariae non officiales, immo confessionales. Non habetur sicut accidebat in México incapacitas radicalis Ecclesiae acquirendi bona, nec mors civilis clericorum. Verumtamen, post leges reformatorias BATTLE initio saeculi, Uruguay valido laicismo institutionali imbibitur.

Constitutio Cubana (1976) ad exemplum Constitutionis Sovieticae, Statum habet inspiratorem ac promotorem educationis, culturae, scientiarum. Principia fundamentalia habentur conceptio scientifica mundi prout evolvitur a marxismo et leninismo; educationem esse functionem Status. Illegalis et passibilis poenarum habetur fides religiosam opponere revolutioni, educationi, officio laborandi, patriam defendendi armis, etc.

b) *Regimina laicista*

Laicismus et marxismus deveniunt ad dogmatismum iuxta quod Status concipitur, quasi summus pontifex vitae et actionis omnium civium. Dimensio religiosa relegatur ad intimam sphaeram conscientiae

individui, cultus ad templum, ita, quidem ut vigilantia auctoritatum Status magis effectiva habeatur. Sermo libertatis, cedit ideologiae quae categorias suas libertarias in fibram socialem inserit, independenter ab ipsa libertate.

Sub praetextu pluralismi, vita religiosa institutionalisata maioris longe partis civium impeditur quominus influxum exerceat in vitam socialem, quin immo a priori excluditur a configuranda societate.

Illuminismus et divitis traditionis denegatio imponitur sub novis vestibulis. Vita socialis non ordinanda iuxta criteria naturalia et culturae, sed secundum ideologiam partis politicae quae dominatum obtinet. Ex tyrannia unius ad tyranniam partis politicae, etsi forse exitus plebisciti aut referendi, nulla quae non salvetur distantia habetur.

Libertates individuales, inclusa libertate educationis et scholae, relegantur museo antiquitatum.

c) Regimina in quibus viget observantia et tolerantia.

Nationes in quibus viget ampla libertas scholaris eae sunt quae conventiones statuerunt cum Sede Apostolica.

Respublica Dominicana (art. 16), Ecuador (art. 27), Bolivia (art. 182), Costa Rica (art. 79-81), Panamá (art. 42, 87-90), Guatemala (art. 93) legem fundamentalem habent regulantem libertatem educationis atque Scholarum. Sic etiam Constitutio Brasil (1960). Costa Rica et Panamá explicite de subsidiis scholis non Status. Peculiaris est casus Paraguay: quamquam religio Catholica est officialis et libertas educationis proclamatur, educatio in Scholis Status est laica.

Conventio Colombia cum Sede Apostolica (1973) ample agnoscit libertatem educationis atque

scholarum, necnon educationem religiosam in scholis Status iuxta voluntatem parentum aut alumnorum adutorum. Venezuela (1964) tantum incorporat agnitionem officialem titulorum quae dantur in Seminariis et institutis formationis Ecclesiasticis.

Perú (1980) agnoscit plenam libertatem Ecclesiae condendi institutiones educativas cuiuslibet gradus, in conformitate legibus civilibus. Pariter admittit educationem religiosam in institutionibus Status, a magistris cum approbatione episcopali. Agnoscit etiam titulos academicos seminariorum et institutorum educationis mediae, approbatorum ab Statu et a Conferentia episcoporum.

* * *

In genere loquendo, sive Religio Catholica agnoscitur officialis (Paraguay, Bolivia, Costa Rica, Colombia), sive est religio maioris longe partis (Venezuela), sive non accipit considerationem praeferentialem (Ecuador, Honduras, El Salvador, Panamá), sive agatur de Natione quae concordatum statuit cum Sede Apostolica (Perú, Colombia, Venezuela, Ecuador, Santo Domingo) aut quae non statuit, omnes agnoscunt amplam libertatem conscientiae et cultus, necnon, varietatibus et limitationibus iam indicatis, omnes agnoscunt libertatem educationis et scholarum. Observantia et tolerantia, erga Ecclesiam Catholicam, vel religiones traditionales, et actionem religiosam in genere, non raro pervenit usque ad collaborationem.

In Costa Rica educatio Catholica integre subsidiis Status sustentatur. In Paraguay, quamquam in Scholis Status non habetur institutio religiosa nisi ab illis qui de minoribus habent responsabilitatem, vel ab

Educatio universitaria non officialis, etiam ubi regimina imbuta sunt laicismo, ut in Uruguay, extenditur et firmatur. Catholicae Universitates in Chile, Colombia, Brasil fama internationali gaudent.

6. Situatio in Argentina

a) *Ante structurationem Nationalem.* Sub regimine coloniali Hispano, scholae, collegia, universitates creata sunt iuxta mores temporum. Agnitio iurisdictionis ecclesiasticae, libertas inceptorum agnita ordinibus religiosus et capitulis municipalibus ad proprias scholas creandas et regendas, excludebat quodlibet monopolium Status. Saeculis XVII-XVIII loqui possumus, in genere, de aliquali libertate scholari. Ac simul dicendum Ecclesiam Catholicam assumpsisse, magna ex parte, non tantum opus evangelizationis verum etiam munus educationis. Nec tantummodo ad scholas elementarias et medias quod attinet sed creatione etiam institutorum studiorum superiorum, ita ut in America Hispana fere quinquaginta universitates numerarentur. Activitatem peculiarem hoc in campo exercuit, fecunditate maxima, Societas Iesu.

In Buenos Aires, sub administratione gubernatoris regionis «Rio de la Plata» HERNANDARIAS (circa 1612) primi gressus educationis universalis habiti sunt, multiplicatione «scholarum Regis», singulari modo tempore vices regum VÉRTIZ et LINIERS. Post expulsionem Societatis Iesu (1767) Status conatus est conservare divitem hereditatem culturalem ab ea instauratam.

Talis erat regula in centris urbanis. Ruri institutio primaria curabatur a privatis magistris. «Scholae Regis» remunerationem sumebant, aliae, conventuales, gratis docebant.

Societas Iesu duas condiderat universitates, quarum una Córdoba (1620), alia (paulo post) Chuquisaca.

Temporibus revolutionariis ab anno 1810 fere nihil innovatur in campo educationis, sed regimen traditionale permansit sub vigilantia auctoritatis ecclesiasticae. Neque Status provinciarum vires habebant ad magna incipienda hac in re.

Anno 1810 unicum erat collegium medium, «Montserrat» in civitate Córdoba. Collegium Sancti Caroli disparuerat sub finem dominationis Hispanae, nonnisi anno 1818 restauratum fuit a PUEYRREDÓN Directore Provinciarum «Rio de la Plata» (1816-1819). RIVADAVIA Secretarius Gubernatoris Buenos Aires (1821-1824), ipsum transformavit in convictum pro praeparatione ad ingressum in universitatem Buenos Aires nuper fundatam (1821), ipsumque creavit corporationem professorum subsidiis et vigilantia Status provincialis Buenos Aires.

Secundum triumviratum (Octobri 1812-Februario 1813) conatus est «augere numerum institutorum publicorum omne genus et praesertim ad educationem et institutionem, ita ut invenirentur utiliora quaeque magis possint commendare (auctoritates?) ratione eorum momenti»¹³.

Comitium Nationale decrevit (1813) unionem Collegii San Carlos atque Seminarii, sustentanda ex aerario publico.

¹³ Para «aumentar todo género de establecimientos públicos y principalmente los de educación y enseñanza, y descubrir cuales son en cada uno los más útiles, y que más puedan lisongearlos por su importancia» (Instrucciones ad ANTONIO ALVAREZ JONTE y FRANCISCO UGARTECHE qui, septembri 1813, commissionem acceperant ut in provinciis internis promoverent independentiam, foederationem atque bonum publicum).

Annis 1816 ad 1820 Congressus magnopere conatus est facilem reddere instructionem publicam. Collegium «Unionis meridionalis» renovavit antiquum collegium Sti. Caroli atque Congressus obtinuit firmiter tunc cum eius Director PUEYRREDÓN proposuit foundationem Universitatis Buenos Aires. Commissio permanens unanimiter decisis commendare approbationem incepti, explicando Universitatem non ex aerario Nationali esse sustentandam sed eius erectionem approbandam esse a Curia Romana. Inceptum delineabat autonomiam in re oeconomica atque libertatem in academicis et administrativis primae Universitatis Buenos Aires. Quamquam, sanctione legis creationis Universitatis Status provinciae sustentavit corpus professorum, mansit principium libertatis et vigilantiae ex parte auctoritatis ecclesiasticae. In provinciis constituta sunt aliqua Collegia media post 1810, ut «Sanctissimae Trinitatis» (Mendoza 1817-1861), «Conceptionis Uruguay» et «Sancti Michaelis in Tucuman» (1857). Cum sodales Societatis Iesu redire potuerunt, post restaurationem Societatis, constituerunt Collegium «Salvatoris» (1837-1841) in Buenos Aires, dum PP. Bayonenses constituerunt Collegium «Sancti Iosephi» (1858), Etiam Santa Fe et Corrientes aperuerunt Collegia sed vita satis precaria (1855-1865).

Post 1813, in pluribus provinciis, Capitula metropolitana proprias scholas publicas erexerunt, sub vigilantia Directionis generalis Scholarum (1817). Post 1820, tendentiae politicae et Nationis incrementum, ducunt ad relativam praeponderantiam Status.

Cum Capitula metropolitana suppressa sunt sub influxu RIVADAVIA, practice scholae fiunt organa administrationis.

Anno 1822, decreto statuitur ut omnes scholae

accipiant systema educationis «Lancaster», quod anno 1833 disparuit. Creatio «Praefectura Scholarum» a duce militari DORREGO, temperavit periculum ne scholae devenirent unitates administrativae, sed centralisatio in dies maior facta fuit regimine ROSAS Gubernatoris provinciae Buenos Aires (1829-1832; 1835-1852), qui practice dictator extitit.

Directioni generali Scholarum successit Inspectio generalis (1821), examinatio Universitatis, Inspectio generalis (anno 1828 restaurata) et Consilium Beneficentiae (1833).

Decretum februarii 1831 condicionem approbationi ex parte administrationis, ut schola conderetur, apposuit magistros catholicos esse debere, et religio catholica doceri obligatorie debebat.

Inter 1837 et 1841 sodalibus Societatis Iesu permittitur scholas moderari, sed periodus sub ROSAS, dum scholae privatae augentur, scholae publicae declinant.

Haec valent de scholis pro pueris, dum scholae pro puellis, etiam privatae, ab anno 1823 manent sub vigilantia «Societatis Beneficentiae» quae promovit scholas, nulla accepta compensatione ex parte alumnarum, tam in urbe quam ruri.

Tendentia ad Nationalisationem, post proelium Caseros (1852) in quo ROSAS vincitur, crevit fortiter per factum Nationalisationis Universitatis Córdoba et per eius dependentiam a Thesaurio Nationis (1854).

Conatus tribuendi primas partes Statui, sub praetextu illustrationis, implicabat impetum contra Catholicismum et conatum submittendi individua sub potestate totali Status. Agebatur de totalitarismo pudenti, quod revera cohaerebat magis cum postulatis Lenin quam cum ideis liberalismi anglici aut americani

septentrionalis quae dicebantur applicandae¹⁴.

b) *A Constitutione Nationis* (1853-1860). Parum se refert ad educationem, semel ac principium libertatis educationis ac scholarum statuit. Principium «docendi et discendi» inhaerens «omnibus incolis Nationis» (art. 14). Gubernio foederali interdicitur restringere, limites apponere, tributis gravare ingressum in Argentina alienigenorum accedentium «ut introducant vel doceant scientias et artes» (art. 25).

Certe educatio primaria a provinciis in tuto ponenda erat norma constitutionali provinciali, iuxta principia, declarationes, cautiones constitutionis Nationis; Congressus autem Nationis promovere tenebatur illustrationem, programmata institutionis generalis et universitariae. Sed nulla lex sub pretextu applicationis coarctare poterat illa principia (art. 28).

In diversis reformationibus constitutionalibus mansit principium libertatis, usque ad 1957, cum nonnulli adhaerentes «Revolutioni liberatrici» conati sunt instaurare regimen monopolii Status. Iam prius ab anno 1860 institutio collegiorum nationalium necessariorum ad ingrediendum in universitatem, gressus versus monopolium Status constituerat. In praxi libertas redditur utopica, ita ut a 1870 motus in favorem libertatis educationis nascatur: tam Conventio revisionis Constitutionis provinciae Buenos Aires, quam Congressus Nationis legem libertatis sanxerunt (934), sub impulsu repraesentantis popularis José

¹⁴ LEGUIZAMÓN deputatus et Praeses Congressus Paedagogi Nationis, sic expressit suam thesim in Congressu deputatorum (1883): «Educatio obligatoria est omnibus ordinibus socialibus, iuxta propriam sphaeram ac media, verumtamen sub exclusiva directione Status».

MANUEL DE ESTRADA (1878). Satis parum logice, dum tenebat libertates associationis et cogitationis, in praxi negabat libertatem educationis. Promovit universitates sive Status sive non, plene autonomas, personalitate iuridica, redditibus propriis. Universitates Status, non mere unitates administrativae, non Status nec mere privatae, esse debebant. ESTRADA, et SARMIENTO (iam pridem Praeses reipublicae [1868-1874], nunc inter legislatores, maximus Magister Massoneriae Argentina a 1880), prae oculis habebant modellum americanum et europaeum.

ESTRADA etiam scriptis contra monopolium Status insurrexit, sicut GERÓNIMO CORTÉS, deputatus ex provincia Córdoba, qui proposuit schema quod originem dedit legi 934¹⁵.

Anno 1884 lex 1420 ordinat scholas primarias Buenos Aires et territoriorum foederationis: erunt gratuita et obligatoriae, sub responsabilitate parentum. Admittit lex educationem fieri posse in scholis primariis particularibus aut etiam in ipsis puerorum domibus, necnon a ministris cultus, sed «ante vel post horas lectionum».

Post 1905 (lex LAÍNEZ) multiplicantur decreta quibus lex 1420 extenditur ad scholas provinciales et particulares. Lex quae instituit cives atheos, necessa-

¹⁵ E contra VICENTE FIDEL LÓPEZ y EDUARDO ILDE, propugnatores Status liberalis, declaraverant in Congressu deputatum: «*Nosotros somos una nación liberal; como nación liberal no podemos poner condiciones al derecho de opinar, pero como es el Estado el que garantiza ese derecho, a él le corresponde dirigirlo por medio de una enseñanza análoga a nuestras instituciones; y las analogías, las bases de esa enseñanza deben estar en sus manos, para que, dejando a todos la libertad, la enseñanza del Estado sea la más completa y la más influyente y la que forme, en fin, el criterio público y moral de la Nación misma*».

rio afficit omnes qui mediis educationis in aliis scholis carebant. Non modo Constitutionem violabat, sed iuxta ipsam formari nequirent cives qui eligi possent Praesides Reipublicae, siquidem Constitutio requirit ut Catholici sint.

c) LEX AVELLANEDA (1597). Ipsa ordinavit Universitatem Argentina per ultra 60 annos, fructus etiam praevalentis monopolii Status. Educatio universitaria, non Statalis in suis originibus, ex influxu modelli napoleonici imposuit monopolium Status in mundo studiorum altiorum, efformando novas generationes iuxta doctrinas liberalismi ex revolutione Gallica, contra spontaneam associationem personarum ad inquirendam et transmittendam veritatem, prout accidit initio. Universitas Bologna ortum habuit a coetibus alumnorum, dum Universitas Paris ab associatione magistrorum, duae primae universitates mediaevales.

Huiusmodi lex denegabat facultatem sive alumnis sive parentibus eligendi professores, iisque denegabat facultatem creandi institutiones in quibus offerrent proprium conceptum vitae universitariae.

Ecclesia Catholica atque in specie Societas Iesu Universitates seminaverunt in America, fere eodem tempore ac «Patres peregrini», puritani, perveniebant in Americam septentrionalem, fugientes circumstantias adversas in Regno Unito. America Saxona in embryo erat incipiens cum America Hispana splendebat luce propria.

In Argentina, Nationalisatio totius vitae universitariae, duxit universitates Status ad integrationem administrationis publicae cum limitata autarchia, omnino dependentes ab arbitrio Ministrerii in toto territorio. Potius quam de institutionibus erectis ab Statu

cum personalitate et vita propria agitur de entibus burocraticis sine facie propria.

Non multo post legem 1420 promulgatam Status occidit traditionem universitariam hereditatam, atque, vero stylo illuminismi, omnia ab ovo et ex «a prioribus» incipere conatus est. Lex generalis erat ut iuxta ipsam singulae universitates propria statuta conderent, quae tamen approbationi Potestati Executivae Nationis submittenda erant. Rector, eligi debebat singulis quattuor annis a corpore universitario, qui universitatem regere debebat cum Consilio superiori constanti omnibus Decanis facultatum necnon quibusdam delegatis. Programmata studiorum fieri debebant a singulis Facultatibus.

Anno 1918, motus studentium, praesertim Córdoba unde et ad alias universitates transivit, a certis professoribus sustentatus, mente radicali, propter mutationes politicas anni 1916, primum bellum Europaeum, atque Revolutionem Sovieticam, renovationem profundam universitatis quaesivit. Corpus professorum et methodi docendi reformantur, sed introducitur activitas politica quae perturbavit disciplinam universitariam et influxum negativum habuit in qualitate studiorum.

d) *Titubationes in campo educationis* (1943-1955).

Non defuerunt conatus accedendi ad veram libertatem. Sic propositiones a deputato JUAN F. CAFFERRATTA (paulo post 1940) de sustinendis subsidiis Scholis non Statalibus, in quibus educationem non Statalem recipere possent, sicut et in Europa accidebat, filifamilias sine mediis oeconomicis. Vitari intendebatur iniustitia qua cives sustinere coguntur tantummodo educationem Status.

Plus adhuc inceptum Dni. GUSTAVO MARTÍNEZ ZUVIRÍA, ministri gubernii revolutionarii anni 1943, iterum introduxit institutionem religiosam in scholis et collegiis nationalibus, salvo regimine libertatis. Bene delimitat decretum-lex (1946) partes Status, iura parentum, facultates Ecclesiae. Status media praebet et subsidia, ut familiae exercere possint ius electionis educationis quam malunt pro filiis. Ecclesia cautionem dat orthodoxiae institutionis religiosae, quae voluntarie accipitur ab alumnis. Habetur systema simile illi concordatorum cum Statibus germanicis, vel illi vigenti in Helvetia, Hollanda et Anglia.

Mense aprili 1955 abrogatur systema optimum illud libertatis. In pluribus provinciis iterum instauratur systema optativum institutionis religiosae; dum in Natione ut tali principium libertatis educationis incrementum sumpsit.

e) LEX DOMINGORENA (a. 1958). Principium libertatis pro universitatibus firmavit, quod extenditur ad gradum medium a prudente gestione ministeriali Dni. LUIS R. MAC KAY.

Vicisitudines politicae durante tempore Praesidentiae ARTURO FRONDIZI (1958-1962), non obstaverunt firmae acquisitioni principii libertatis educationis, quod in foris internationalibus Status Argentinus propugnavit, cohaerenter cum principiis Nationum Unitarum.

Lex 6.403 statuerat (anno 1955) possibilitatem creationis universitatum ab inceptis privatorum, cum iure concedendi titulos academicos. Ex fautoribus liberalismi et socialismi falsa proponitur antinomia inter scholam «laicam» et «liberam», argumentando Ecclesiam Catholicam certe scholis liberis dominatum iri. Re quidem vera, ut deinde, com-

probatum est numerus scholarum confessionalium minor pars fuit. Universitates non Status organisaetae sunt cum incremento laboris intellectualis ac investigationis.

Anno 1958, lex 14.557 lineas legales praebuit pro ulteriore evolutione educationis non Status.

Pro Universitatibus non Status sequentia determinantur: concessio graduum academicorum; non ius habent ad subsidia Status; Statuta submittenda sunt approbationi praeviae; tutelare debent formationem technicam, scientificam, culturalem alumnorum, necnon formationem democraticam. Auctoritatis administrativae est ordinare ceteras condiciones.

f) *Lex 17.604*: Complementum constituit legis praecedentis, statuendo:

— Creatio Universitatis privatae requirit prae-viam approbationem Status per Decretum potestatis executivae;

— Universitates privatae conformari debent finibus ac functionibus Universitatum publicarum, ex quo oritur dolenda necessitas mutationum quoad ipsos fines Universitatum privatarum semper ac nova lex Universitaria promulgatur;

— Constitui debent ut corporationes civiles non ad lucrum. Id quod iam prius fecerant existentes Universitates privatae, ostendendo se non moveri intentione lucri;

— Ius appellationis conceditur contra denegationes aut remotiones approbationis, id quod non valet de universitatibus quae non acceptent petitionem approbationis provisoriae ad agendum. Id sibi vult institutiones quibus denegata fuerit approbatio initialis nullo modo poterunt obtinere revisionem decisionis coram tribunalibus; manebunt igitur impo-

tentes coram arbitrarierate administrativa.

— Studiorum programmata, ut condicio concessionis, cohaereant cum proritatibus evolutionis Nationis et regionis; iuvent ad investigationem scientificam, technologicam aut humanisticam; graduatorum locus in tuto sit, etc. Etsi institutio media materialia et humana habeat, approbatio discretionaliter denegari poterit ex criteriis subiectivis tam difficilis evaluationis,

— Potestas executiva Nationis poterit concedere subsidia oeconomica, cum id ducat utile pro bono Nationali, quorum quidem usus sub vigilantia logice

manebit. Verumtamen practica applicatio huius dispositionis vere extraordinaria evasit ita ut affirmare liceat Universitatem privatam crevisse nullis subsidiis ex parte Status.

Consilium Rectorum Universitatum privatarum (quod iam anno 1962 creatum fuerat) institutionalisatur, ut repraesentans instituta approbata, pro collaboratione in creandis programmatibus, etc.

— Ministerium Educationis obtinet innumeras competencias vigilantiae, ut examen librorum, regestorum, documentorum de activitate academica, administrativa, oeconomica universitatum; immo rogare potest potestatem executivam Nationis interventum in universitatibus ita ut, de facto, hae maneant subiectae arbitrio voluntatis ministerii.

— Tandem, quod signum est maturitatis institutionum, permittit ut periculum capacitacionis professionalis suspendatur post 15 annos vitae universitariae.

Sub his normis in toto territorio reipublicae creatae sunt numerosae institutiones non Status in quibus eminentes professores qui privati erant cathedris in

universitatibus Status propter mutationes politicas partitorum docuerunt. Hi universitatem separatam a luctis pro potestate conservaverunt atque possibilem reddiderunt verum pluralismum, reapse non vero declamationibus.

7. Propositio Concordati a Doctore Santiago Estrada

Romae, 1958, Dr. ESTRADA redegit schema concordati circa educationem, et auctoritate Praesidis Reipublicae, anno 1962, tractationes init. Quattuor continebat, respectu scholarum sive Ecclesiae sive Status: libertatem educationis, observantiam conscientiarum, institutionem religiosam et institutionem catechetica.

Inclusio libertatis educationis impediret ne fieri posset reformatio unilateralis, eo quod protegeretur conventione internationali. Praeterea sanctio daretur principiis constitutionalibus et normis legalibus applicationis.

Primus articulus tria continebat: cautionem Status Argentini plenae libertati Ecclesiae condendi et moderandi Scholas cuiusvis gradus. Ecclesia libere docere et diffundere potest doctrinam christianam.

Paritatem iuridicam diplomatum scholarum omnium graduum ab Ecclesia dependentium, dummodo programmata et methodi studiorum similia sint illis scholarum Status. Est agnitio valoris effectivi studiorum.

Tandem Statum agnoscere diplomata et titulos, dummodo scholae educationem culturalem, scientificam, technicam, similem illis scholarum Status offerant. Limitatio tamen praevidebatur pro exercitio professionum liberalium per praevidiam inquisitionem in singulis casibus aptitudinis iuxta ordinationes.

Si libertas agnoscitur condendi universitates, Ecclesia eget praeterea declaratione aperta quae in tuto ponat fundamenta fidei ita ut in educatione publica Status minime attentetur contra religiosa principia aut corrumpatur conscientia moralis studentium.

Praeter iura Ecclesiae quae ex divina missione oriuntur, educatio religiosa fundatur duplici fundamento: traditione nationali et iure individui educandi. Laicistae, utpote rationalistae, primum denegabant, alterum utpote sectarii. Illa duo Dr. ESTRADA proposuit in novo articulo. Status Argentinus traditionem catholicam Nationis prae oculis habebit atque iura educandorum ad institutionem in propria religione. Obligationes scholares ita disponentur ut alumni catholici possint non modo accipere institutionem religiosam, sed et observare dies festos atque implere sua officia erga Ecclesiam.

Praevidebatur educationem primariam officialem determinari a guberniis provinciarum, et subsidariae a gubernio Nationali. Hoc certe poterit directivas ordinis generalis emanare, et gubernia provincialia facultatem non habebunt imponendi educationem laicam.

Duo articuli concrete statuebant: in institutis nationalibus, provincialibus aut municipalibus, institutio religiosa obligatoria vel optativa, manebit sub vigilantia Ecclesiae quae quidem programmata, textus et magistros approbabit. Non est igitur responsabilitas Status.

In institutionibus officialibus in quibus non detur institutio religiosa, obligatoria aut optativa, studentibus, iuxta expressam voluntatem parentum, offeretur institutio catechetica intra scholam, sub responsabilitate parochi, aptando horas lectionum.

Necessarium fuisset aliquid addere circa subsidia ex parte Status scholis atque institutionibus catholicis.

Certe media oeconomica ab Statu destinata ad centra educationis, aequae distribui deberent inter omnes huius generis institutiones, sive sint Status sive sint Ecclesiae sive sint privatorum.

De facto, Status Argentinus, quamvis nihil concordatum sit cum Sede Apostolica, scholis Ecclesiae subsidia confert. Non vero Universitatibus, quae ab omni Status iuvamine exclusae manent.

7. Conclusiones

Ex analysi quae praecedit sequentes eruere possumus conclusiones.

1. Conventiones internationales inter Sedem Apostolicam et varios Status ad mutuas relationes ordinandas, non evanuerunt post Concilium Vaticanum II, ut quidam auctores parum informati supponunt; quin immo, enumeratio conventionum satis eloquenter contrarium demonstrat. Ut patet antiquiora Concordata renovata sunt atque novae conventiones praetermittunt obsoletas conceptiones sicut «concessiones» ex parte Status Ecclesiae, aut «privilegia» ex parte Ecclesiae Statibus. Nunc effertur libertas contractualis ex utraque parte et mutua utriusque agnitio ambitus competentiae. Sufficiat recolere revisionem Concordati Italiae (1984) ut appareat mutatio terminologica et attentio ad punctum centrale supra sublineatum.

2. Nationes maioris progressus necnon maioris ponderis in mundo evoluti, praeterquam Americam Septentrionalem, Japon, Magnam Britanniam et Unionem Sovieticam ante disgregationem, relationes cum Ecclesia Catholica, etiam sub aspectu scholari, composuerunt. Creatio relationum diplomaticarum cum America septentrionali et conversationes inter

legatos pontificios et auctoritates Sovieticas, occasione millenarii Baptismi Rus'j de Kiev apud Moscou, circa agnitionem legalem Ecclesiae Catholicae ritus Byzantini-slavi in Ukraine, spem concipere permittebant futurarum conventionum.

3. Libertas educationis atque scholarum invenitur in numero satis conspicuo conventionum. Illae cum Statibus Reipublicae Foederalis Germaniae, meliores ostenduntur quod ad perfectionem et praecisionem, quamquam Status Foederalis systema separationis inter Ecclesiam et Statum teneat, quorum tamen mutuae relationes evolvuntur harmonicae et intensae praesertim respectu quaestionis scholasticae.

4. Iura libertatis educationis et scholae quae indicantur in «Pacto Internationali Iurium Oeconomicorum, Socialium, Culturalium» (Nationum Unitarum 29-7-1954), aliisque directivis in foris internationalibus, manebunt expressio desideriorum nisi sequatur apta legislatio necnon sequantur aliae cautiones de quibus in art. 16 eiusdem «Pacti». Firmiter putamus concordatum ostendi instrumentum optimum. Etenim hoc, sicut et alia pacta internationalia, permittunt autoregulationem Status, et observatio communitatis internationalis huius mundi interdependentis maioris efficacitatis est quam quaevis autoregulatio interna. Illae ordinationes iuris interni, quamquam altioris categoriae iuridicae esse possint, ut in casu iuris constitutionalis, relinquuntur sub arbitraria voluntate Status, qui quolibet momento potest simpliciter enervare proprias promissiones. Sedes Apostolica numquam admisit, post occupationem Romae ab exercitu Regni Italiae, «Statutum suum iuridicum» definiri unilateraliter dumtaxat ab Statu Italiae, quamquam is paratus esset in tuto ponere omnia Ecclesiae iura, ne in periculum incideretur cuiusdam «concessionis»

quae, quocumque momento ab eodem unilateraliter revocari posset. Id in exemplum haberi potest omnium quaestionum sive spiritualium sive indolis mixtae prout est quaestio scholaris.

5. Satis est curiosum, Nationes saecularis traditionis Catholicae, ut Filipinas et Nationes Ibero Americanae frequenter conventionibus carere amplis quae et quaestionem scholarem considerent. Fortasse quia opus evangelizationis Pontifex commiserat Coronae, quae quidem saepe ostenderat suum spiritum Catholicum, id effecit ut quandoque, temporibus anteactis, confusio generaretur inter ea quae conferebant Statui, et quae Ecclesiae conferebant. Psychologice, id quod hypothesis laboris haberi potest, subconscio modo ad identificationem perveniebatur quod omnia, evangelizatione et cultu non exclusis, ad Statum ut talem competerent. Clerici et laici, catholici et non Catholici vivunt in eodem ambiente socio culturali, unde facile colligitur cur abesse potuerit concordata norma in nostra Natione.

Dubium non est exinde sclerosim quandam paulatinam in expressione libertatum ecclesiasticarum ortam esse, unde etiam fortasse absentiam ex parte Ecclesiae indicationis huius medii iuridici applicationis competentiarum utriusque potestatis.

6. In Nationibus traditionis Catholicae in Europa, plures determinationes habentur terminologia defectuosa propter influxum ideologiarum laicistarum, si excipias conventionem Sedem Apostolicam inter et Italiam anni 1984.

Libertas educationis et scholarum fundamentalis est pro firmandis et ipso, Statu, iure fundato, personarum iuribus¹⁶.

¹⁶ Cf. *Appendicem II*.

Inter elementa nondum clarificata nostrae nationalis identitatis, haud dubio libertas educationis et scholae numeratur. A celebratione infausti Congressus Paedagogici ex decreto Praesidis ROCA et eius Ministri PIZARRO (1881), usque ad repetitionem impeditam a Congressu Paedagogico anni 1988 (Lex 23.114) locum habuerunt omnia praesupposita legalia et administrativa, de quibus supra, quae infirmarunt praeceptum constitutionale de libertate educationis et scholae.

In Congressu saec. XIX, de quaestionibus educationis et institutione populari, ex officio incorporatae sunt experientiae laicistae recentes in Belgio et Gallia. Abstractio cuiusvis doctrinae orthodoxae in Natione homogeneo modo catholicae ut Argentina erat invitatio ad apostasiam. Hinc quod deputati GOYENA, ESTRADA, NAVARRO VIOLA alique intellexerunt exclusionem educationis catholicae ex politica officiali educativa significare destructionem identitatis nationalis.

Sequaces idearum laicistarum conati sunt excludere quamlibet problematicam religiosam quae, iuxta ipsos, non ingrediebatur in programme Congressus. ESTRADA, sapienter, respondit, in tali hypothesis, talem problematicam religiosam ne quidem debere excludi aut declarationem haberi eius suppressionis, siquidem quaestio excluderetur a discussione. Congressus tamen argumentis rationalibus attendere noluit et conclusit materiam religionis obligatoriam non esse. Fautores theseos educationis religiosae, coram ita evidenti mala fide, maluerunt recedere a Congressu.

Minister educationis PIZARRO, catholicus, substitutus est ab EDUARDO WILDE (a. 1882), acerrimo laicista. ONÉSIMO LEGUIZAMÓN, Praeses Congressus Paedagogici, novo Ministro communicationem missit

ut quam celeriter haberetur confirmatio officialis decisionum Congressus. Sic sancita est lex 1.420, de qua supra.

Post saeculum ab his eventibus, ex incepto gubernii lex 23.113 promulgata est quae firmabat, maiore extensione, decisionem saec. XIX. Verumtamen, ex felici et celeri responsione catholicorum a basi, non permissa est manipulatio et conclusiones, quae a politicis ad minimum redactae sunt, evidenter ostenderunt antinomiam «realitatem-educationem», ut intra sanum pluralismum necessitates spirituales educandorum satisfieri possint.

Ideologia in saecularitatem inducens, agnostica, totalitaria, sub specie pluralismi democratiae socialis imposita ut sequela restaurationis institutionalis anni 1983, inducit per impositionem schematum «libertatis», permissivitatis, et programmatum «gramscianorum», aggravare crisim societatis Argentinae. Obstacles et obices administrativa contra educationem non officialem multiplicata sunt et per Congressum Paedagogicum anni 1988 conatus facti sunt, sub praetextu participationis democraticae, ducere ad strictum monopolium educationis ex parte Status.

Ideo consilium Rectorum, a Consilio Superiori Educationis Nationalis inductum, coram imminente lege educationis, se pronunciavit in favorem legis organicae nec partialis, quae prospiceret futuro non vero quae regressum significaret, apertam et pluralistam non vero sectariam, creativam non autem quae vias tantummodo facilitatis percurreret, promoventem personas, institutiones, incepta communitaria non iam monopolisticam ac sterilizantem nec quae per ordinationes administrativas limitaretur.

Pro parte sua Seminarium de «Libertate educationis in systemate educativo Argentino», promotum

a Coetu coordinatore Associationum Educationis Privatae Reipublicae Argentinae (COORDIEP), sub directione Professoris ALFREDO VAN GELDEREN (a. 1989), pericula exposuit ac limitationes systematis legalis Argentini in suo aspectu administrativo erga educationem non Status.

Patet insufficientiam systematis legalis exclusive interni ample esse demonstratam.

Concordatum cum Sede Apostolica de hac re, firmitatem tribueret legislationi et componeret non tantum Ecclesiae iura, verum etiam, indirecte, et in genere privatorum.

APPENDIX I Conventiones quae rem scholarem includunt ordinandam quaeque adhuc sunt in vigore:

1980. Inter PRUM IX et Rempublicam Haïti, 29 martii.

1924. Cum Bavaria, 29 martii.

1929. Cum Prusia, 14 aprilis.

1933. Cum Austria, 5 iunii.

1933. Cum Reich germanico, 20 iulii.

1937. «Modus vivendi» et conventio additionalis cum Ecuador, 24 iulii.

1940. Concordatum missionarium cum Lusitania, 7 maii.

1953. Cum Hispania, 27 augusti.

1954. Cum republica Dominicana, 16 iunii.

1957. Cum Bolivia circa missiones, 4 decembris.

1962. Cum Austria, 9 iulii.

1964. «Modus vivendi» cum Tunisia, 27 iunii.

1965. Cum Saxonia inferiori, 26 februarii.

1966. Cum Bavaria, 2 septembris.

1968. Cum Sarre, 9 aprilis.

1969. Cum Bavaria, modificando et complendo concordatum 1924, 17 septembris.

1969. Cum Rhenania-Palatinato, 29 aprilis.

1969. Cum Sarre de institutione magistrorum, 22 novembris.

1972. Cum Austria, ad complementum conventionis 1962, 10 iulii.

1973. Cum Rhenania-Palatinato, 12 novembris.

1974. Cum Bavaria, complendo conventionem 1969, 14 septembris.

1975. Cum Sarre de scholis privatis sub directione Ecclesiae, 21 februarii.

1978. Cum Bavaria, ad novum complementum, 7 iulii.

1979. Cum Hispania, 3 ianuarii.

1980. Cum Perú, 19 iulii.

1984. Cum Italia, 18 februarii.

APPENDIX II: Elenchus alphabeticus Nationum cum alicuius generis conventionem cum Sede Apostolica, sed sine respectu ad quaestionem scholarem:

Argentina (1957, 1966)

Bolivia (1958)

Filipinas (1952)

Gallia (1801, 1921, 1923, 1926, 1974)

Helvetia (plures cum variis praefecturis a 1828 ad 1978)

Hungaria (1964, 1969, 1975)

Jugoslavia (1966)

Mónaco (1887)

Paraguay (1960)

Polonia (1974)

Rhenania superior-Westfalia (1956, 1967, 1969)

El Salvador (1968)

Tchechoslovachia (1973)

Venezuela (1964)

NESTOR DANIEL VILLA